

BIBLIA (ISAIAS-APOCALYPSIS)
Österreich (Wien), 1455 Seite 168v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

sunt plage iste i medio manuum tuarum Et dicet hiis plaga
tus sum i domo eorum qui diligebant me framea suscitare sup
pastorem meum et super virum coherentem mihi dicit dns exercituum
Percute pastorem et dispergentur oues et conuertam manum meam
ad paruulos Et erunt i omni terra dicit dns Partes due in ea disper
dentur et deficient et tercia pars relinquetur in ea Et ducam
terciam partem per ignem et uram eos sicut uritur argentum et probabo
eos sicut probatur aurum Ipse uocabit nomen meum et ego exaudiam
eum dicam populus meus es et ipse dicet dns deus meus

XIIII

Ecce dies uenient dicit dns
Et diuidentur spolia tua in medio tui et congregabo
omnes gentes ad Jerusalem in prelium et capietur ciuitas
et uastabuntur domus et mulieres uiolabuntur Et egredietur
media pars ciuitatis in captiuitatem et reliquum populi non auferetur ex
urbe Et egredietur dns et preliabitur contra gentes illas sicut prelia
tus est in die certaminis et stabunt pedes eius in die illa super montem
oliuarum qui est contra Jerusalem ad orientem et scindetur mons oliuarum
ex media parte sui ad orientem et occidentem prerupto grandi
valle et separabitur medium montis ad aquilonem et medium eius ad
meridiem et fugietis ad uallem montium eorum quoniam coniungetur
uallis montium usque ad proximum et fugietis sicut fugistis a facie
terre motus in diebus Josie Regis Juda Et veniet dns
deus meus omnesque sancti cum eo et erit in die illa et non erit lux
sed frigus et gelu et erit dies una que nota est dno non dies nec
nox et in tempore vesperi erit lux Et erit in die illa exibunt
aque viue de Jerusalem medium earum ad mare orientale medium
earum ad mare nouissimum In estate et in hieme sic erunt et erit
dns rex super omnem terram In die illa erit dns unus et erit
nomen eius unum et reuertetur omnis terra usque ad desertum de colle
Remmon ad austrum Jerusalem et exaltabitur et habitabit in loco suo
a porta Benyamin usque ad locum porte prioris et usque ad portam
angulorum et a turre ananehel usque ad torcularia Regis
et habitabunt in ea et anathema non erit amplius Sed se
debit Jerusalem secura Et hec erit plaga qua percuciet eam dns